13. 14

ASSERTIONES JURIDICÆ DE IVRISDICTIONE

QVAS

EX DECRETO ET AVTORITATE AMPLISSIMI ICTORVM ORDINIS IN ILLVSTRI IVLIA

PRAESIDE

AMPLISSIMO ET CONSVLTISSIMO VIRO

DN. HENRICO BINNIO, ICTO PROFESS. INSTITUT. ET JURIS CRIMINAL. ORDIN. FACVLT. IVRID. HODIE DECANO ET DICASTERII GVELPHICI ASSESSORE, FAVTORE SVO ÆTATEM COLENDO.

PRO LICENTIA

SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES AC PRIVILEGIA DOCTORALIA CONSEQVENDI

PVBLICAE CENSVRAE SVBMITTIT

GODOFREDUS FURMANNUS

IVR. PRACTICVS.

AD DIEM XXIIX. M. MARTII

IN IVLEO MAIORI

HORIS ANTE ET POMERIDIANIS

17.

HELMAESTADII,

Typis HENNINGI MULLERI Acad. Typogr.

ANNO CIϽ IϽC LXI.

NObilem Juriſdictionis materiam operoſis hic jam ferre laudibus, neceſſe minimè arbitror: quippe cum excellentiam ejus difficultas, dignitatem utilitas commendet. Quæ cauſa fuit, quod magnorum ſemper Jureconſultorum perſonæ, quarum doctrina & eruditio ignorantiam vulgi ſupergreſſa, antiquitus ſimulac noſtris temporibus in hujus argumenti genere deſudarint. Quod uti accuratè ab illis, commodeq; ſatis inſtructum, ita uberius in præſenti potuiſſe ediſſeri, multaque me omiſiſſe, quæ dici poterant, lubens profiteor. Enimverò non mihi ſtat, omnia juxta meditatum enumerare ordinem, ſed liberrimâ feſtinantis calami ſcriptione pauca hìc attingere. Mihi propoſitum haud aliud nunc fuit, quâm conſvetudini Academicæ hujus diſſertationis periculo ſatisfeciſſe.

THESIS I.

SVmmam, nec limitatam in cives ac ſubditos poteſtatem Majeſtatem appellare eſt moris, eâque non tantùm Principem Romanum, ſed unumquemque Regem, unamquamq; Rempublicam, ab obſequio imperij alterius alienam, quantumvis exiguam, gaudere, res adeò publicæ veritatis eſt, ut neminem ferè hodie reperiri exiſtimem, qui vocet indubium.

II.

Ex majeſtate, tanquam fonte, juriſdictionem omnem originem trahere, ab eâque magiſtratum inſtar lunæ, lumen à ſole mutuantis, opes accipere mutuas, cum repoſcantur reddendas, certius eſt, quàm ut probatione indigeat: quippe quæ una ipſa ac eadem juriſdictionis tribuendæ ejuſdemque Præſides conficiendi, tollendique viribus pollet.

III.

Majeſtas Romana uti aliàs ſingulorum, alias primorum, aut populi arbitrio compoſuit ſubjectos, diverſoſque habitùs ac vultùs ludente in rerum humanarum flexu ſeculorum genio ſortita, ita magiſtratuum indeque juriſdictionis Romanæ non ſimplex ſemper facies extitit, ſed varia, pro translatione videlicet gubernaculi ac officiorum.

IV. Con-

IV.

Conſules Romani in libero regiminis ſtatu ac inter initia potentiæ ſingularis temperandæ gerendæque publicæ Rei deſtinati imprimis videbantur: conſtitutâ autem Imperatorum fortunâ, ſenatuſque autoritate in ſubmiſſam ipſorum adulationem progreſsâ, præter voluntariam jurisdictionem ac honorem Faſtis nomina imponendi ſpecioſo illi quidem, ſed collabefacto à principibus titulo, pauca admodum ſuperfuerunt.

V.

Prætores ſub Optimatum, ac aliquandiu adhuc ſub ſoluti Regni potentatu non tantùm civiles controverſias, ſed etiam quaſdam criminales diſtrahendi, annuaque edendi edicta retinebant libertatem: quæ rimari malle quàm revereri quanquam ſeculi illius crimen erat, à gradu tamen, in quem promoti fuerant, poſteriùs depulſi, umbram ſaltem haud pertinacis felicitatis ſervârunt, ita ut ſecutis temporibus nudum tantùm non atq; inane inclinatæ dignitatis verbum maneret, ſeneſcenſq; honor converteretur in onus, ludis edendis nuncupatum, dicatumq;.

VI.

Iuriſdictio Iuſtinianea, ſi intra genuinam ſignificationem reſpiciatur, rectè definitur per notionem (a) quæ jure magiſtratus competit: quanquam in ſenſu latiori accepta, quo extraordinaria & de

criminibus cognitio in appellationem ipſius conceſſit, non malè ſequens adumbratio, quod nimirum ſit notio magiſtratui competens, in deciſione quæſtionis, an jus ſit, nec ne, conſiſtens, eidem quadrare poſſit.

(a) *l. 99. ff. de verb. ſign. l. 5. pr. ff. de re jud.*

VII.

Iuriſdictionem vocabulo poteſtatis ritè definiri, & pernegant non pauci, à & nobis non probatur, cum Logicæ præcepta prohibeant genus remotum ſpeciebus imponere.

IIX.

Notio, quæ in civilibus, privatiſque cauſis verſatur, non tamen omnibus, ſed ijs tantùm, de quibus citra ſpecialem permiſſionem ex hac ſolà ratione, quod ad magiſtratus ordinarij ſortem ſubvectus, cognoſcendi, ſtatuendiq; veniam quis accepit, jure magiſtratus competere dicitur, ac juriſdictio vocari adſolet: (a) Quæ verò criminalium rerum, earumque civilium indagationi inſiſtit, de quibus vel præter ordinem certi delecti, vel ipſi etiam regulares tribunalium moderatores, non tamen injuncti muneris admonitu, verùm ex peculiari Legis indulgentiâ conſtituunt, ei juriſdictionis propriè dictæ ſignificatum non convenire, juris Iuſtinianei teſtatiori memoriâ ſatis ſuperq; corroboratum. (b)

(a) *l. 1. ff. de off. ejus.* (b) *d l. 1. & l. 6. §. 2. ff. de tutel. l. 1. &*

l. 1. *& ll. ff. de reb. eor. qui ſub tut. vel curâ ſunt, l.* 2. *ſ.* 1. *ff. de off. ejus, l.* 8. *in pr. & ſ.* 1. *junct. ſ.* 18. *ff. de tranſact.*

IX.

Notionem domeſtico magiſtratûs jure quæſitam mandari poſſe (*a*) nihil ſanè dubitandum eſt: quæ verò lege, ſenatuſconſulto, vel conſtitutione Principis ſpeciatim obtigit, eam alterius operâ expediri (niſi jure quo ſingulari (*b*) delegatio ſuſtineatur) aut creditâ juriſdictione transferri, Iuſtiniani placita reſiſtunt. (*c*)

(*a*) *l.* 1. *ff. de off. ejus.* (*b*) *l.* 13. *& pen. ff. de off. proconſ.* (*c*) *d. l.* 1.

X.

Mixtum imperium, quod juriſdictioni cohæret, mandari poteſt, (*a*) delatâque juriſdictione diſcedentem proſequitur, (*b*) judicij autem publici exercitium, merumque imperium, uti magiſtratus officio non tribuitur, ſed peculiari legis præſidio, ita commendari nequit, nec delegatâ juriſdictione tranſmittitur: (*c*) quanquam ut ex cauſis juſtæ abſentiæ, (*d*) infirmitatis, ſimilibuſque (*e*) alteri committatur, jus Cæſareum antiquius juxta ac poſterius, hodieque non rarò per alium abſolvatur, noſtrorum temporum ſecta patiatur.

(a) *l pen. ſ.* 1 *ff. de off. ejus.* (b) *l.* 1. §. 1. *l. fin. ſ.* 1. *d. t.* (c) *l.* 1. *d. t. l.* 6. *pr. ff. de off proconſ.* (d) *l.* 1. *pr. ff. de off. ejus* (e) *Conſt. Crim. Carol. V. art.* 2.

XI. Tu-

XI.

Tutoris datio, etſi jus dicentis officio ſit copulata, (*a*) & à magiſtratu non niſi pro juriſdictione peragatur, (*b*) ejus tamen functionem alteri dari (niſi hæc ſeparatim copia fuerit (*c*) permiſſa) aut delegatâ juriſdictione trajici(*d*) vix ac ne vix quidem affirmabit, qui non vi juriſdictionis, ſed ſpecialioris conceſſus huic conferri cogitaverit, quem juris condendi faſtigium tenentes iſtas partes obire nominatim præcipiunt. (*e*)

(a) *l. 1. ff. de juriſd.* (b) *§. 4. 5. Inſt. de Attil. tut.* (c) *l. 13. & pen. ff. de off. proconſ. l. 1. §. 1. ff. de tut. dat. ab his.* (d) *l. 8. pr. ff. de tut. dat. ab his.* (e) *l. 6. §. 2. ff. de tutel.*

XII.

Diviſionem juriſdictionis in propriam & mandatam eſſe generis æquivoci, non univoci, nec eò valere, ut ſpecies ſubjectas peræquè ſibi vindicet, ſed ipſam juriſdionem in membri prioris, ejus ſaltem uſuram in poſterioris venire complexum, ſuperiora vel leviter intuenti indicio erunt.

XIII.

Mandatâ juriſdictione qui fungitur, alienam tuetur, (*a*) nec potis eſt per alium eam procurare, (*b*) à principe autem profectam qui ſuſcipit, etſi alterius vicem gerat, in propria tamen non alienâ radicatur, eamque alteri ſubſecundo committere non prohibetur.

(a) *l. 1. §. 1. & l. 3 ff. de off. ejus.* (b) *l. ult. pr. d. t. l. 5. ff. de juriſd.*

XIV. Iu-

XIV.

Iuriſdictio mandata, ſi qui mandavit, eam revocet, aut moriatur, causâ adhuc integrâ, (a) regulariter finitur, cum perſona quæ repræſentetur, deficiat, ſed ſi, poſtquam negotium geri cœptum, deceſſerit, ibi, ubi inchoatum, explicetur. (b)

(a) *l. 6. ff. de juriſd. §. 9. Inſt. de mand.* (b) *d. l. 6. l. 30. & 49. §. 1. ff. de jud.*

XV.

Contra ea etſi mandatum juriſdictionis, morte mandantis interveniente, ſi eam mandatarius ignoraverit (a) vires ſuas adhuc obtineat; morte tamen mandatarij, (b) cujus fides electa, aut ſi magiſtratus officium deponat, vel ſententiâ dictâ, factâque rei concreditæ executione (c) expirat.

(a) *l. 26. in pr. & §. 1. ff. mand.* (b) *§. 10. Inſt. de mand. c. 42. X. de offic. & poteſt. jud. deleg.* (c) *c. 9. X. de off. & poteſt. jud. deleg.*

XVI.

Iuriſdictio autem propria tàm novo ſucceſſore conſtituto, (a) quàm ejus, qui eam exercet, & cui à ſummo principe eſt data, non tamen concedentis (b) morte finem ſortitur, quanquam, ſi patrimonij jure obvenerit, in hæredem tranſeat.

(a) *l. 10. ff. de off. proconſ. & l. un. ff. de off. præf. Auguſt.* (b) *c. 2. de off. leg. in 6.*

XVII.

Majeſtati Romanæ, cum in magiſtratuum ordine non conſpiceretur, ſed culmine ſuo ſupra illorum nomen ſe levaret altiſſimè, nec tralatitio eorundem more de proletarijs quibuſque cauſis cognoſcere, ſed publicis curis cum maximè vacans, in commune, ne quid populo olim accidat ſecus, conſulere amaret, ad hæc, decernendo legibus potiùs ferendis, quàm juri dicendo incumberet, (a) juriſdictio verè dicta, quæ judiciorum præfectis jure ordinario admovetur, nec ſanciendo, ſed reddendo civico juri ex Legibus latis occupata, videtur defuiſſe: quæ tamen majeſtatem radicaliter ac virtualiter, magiſtratum autem formaliter inſediſſe, ex adverſo non abſurdè dicitur.

(a) *l. ult. pr. C. de leg.*

XIIX.

Legati proconſulum juriſdictione propriâ quidem (*a*) ſed non ita indulgente utebantur, ut illorum injuſſu eam exercere manum haberent expeditam, (*b*) quorum tamen mandato juriſdictionem ſuſcitatam magis quàm ipſis datam verè condere poſſe videor.

(a) *l. 4. ff. de off. ejus. l. 13. ff. de off. proconſ.* (b) *d. l. 13.*

XIX. Iudi-

XIX.

Iudices à magiſtratu dati, ſeu pedanei, cum facti tantùm, quod geſtum narrabatur, veritatem ſpecularentur, neq; minùs ex ſuo ſenſu litigantiũ quæſtiones dirimere, quàm à jure illo, quod à magiſtratu præſcriptum acceperant ante, recedere ſuſtinerent, facile eſt intelligere, cur juriſdictione æquò ut mixto imperio exciderint *(a)* judicem autem à principe datum juriſdictionis, eaque propter ipſius imperij exercitio *(b)* contendere auſim cum eo, cui à magiſtratu juriſdictio demandata.

(a) *l. 15. pr. ff. de re jud. l. 5. pr. d. t. & l. ult. C. ubi & ap. quem.* (b) *l. un. C. qui pro ſua. l. 5. C. de jud. l. 3. ff. de juriſd.*

XX.

Iuriſdictio ex more loquendi interpretibus quibuſdam familiari in legitimâ poteſtate de qualibet re ſtatuendi, & ſtatuti faciendi ponitur, ac in tres ſpecies, nempe in Imperium merum, mixtum, ac juriſdictionem ſimplicem, ſeu in ſpecie ſic dictam, diſtinguitur: quam quidem deſcriptionem ac diviſionem, cum longiori uſu cuſtodita, haud temerè ineptam, ſed, cum veritatem Legum Iuſtinianearum ante autoritates habeamus, illarum tamen argumentis defectam dixerim.

XXI.

Poteſtas à juriſdictione ſeparata, & ad animadvertendum in facinoroſos Lege data atque definita in jure Iuſtinianeo meri imperij cognomento audit: [a] quamvis qui diverſi hinc abeuntes, non nudam tantùm exequendi potentiam, ſed ipſam etiam notionem, ſeu juriſdictionem criminalem, in meri imperij nomen cadere, autumant, ſolennis ſeculo noſtro, inſtituti ſuffragio nitentur.

[a] *l. 3. ff. de juriſd.*

XXII.

Iuriſdictio criminalis etſi aliâ quàvis re citiùs quàm tutelâ imperii alicujus conjuncti carere queat (quí enim criminum cognitioni quis ſufficere poſſit, ſi ipſi reos annotandi, eoſque in vincula publica conjiciendi, ac cætera negotii hujus jubendi imperio interdicatur?) tantùm tamen abeſt, ut meri imperij patrocinium perinde requirat, ut etiam fieri poſſibile ſit, alterum cognoſcendi, alterum animadvertendi jure uti; (a) contra contingit, ut illi eidem, cui juriſdictio criminalis collocatur, pœnæ ſumendæ inſit autoritatas. (b)

(a) §. 1. 2.

(a) §. 1. 2. 10. 11. *Inſt. de ſuſp. tut*, *l.* 1. §. 3. 8. *ff. eod.*
(b) *l.* 1. §. *ult. ff. de pœn.*

XXIII.

Meri imperij vim non ultimam tantùm ſceleratorum, aut aliam corporalem, quam Reſpublica pro modo admiſſi delicti deſiderat, ultionem imperare, ſed etiam ad quæſtionem, (*a*) relegationem, coercitationemque interdum pecuniariam, criminis, quo compellati conciderint, intuitu, inflictam (*b*) porrigere curſum, atque adeò ſontium cadavera inſequi, (*c*) voluere illi, qui leges Romanas condiderunt.

(a) *l.* 8. *ff. de quæſt.* (b) *l.* 4. *ff. de interd. & releg.* (c) *l.* 1. *ff. de cadav. punit.*

XXIV.

Mero imperio olim conceſſo, ejus tantummodò uſus, non ipſum imperium ad vicarios pervenit: (*a*) de quo idem, provinciis ac pagis, quibus gubernandis præpoſiti erant Purpurati, Imperatorum rerum ſuarum non ita ſtudioſorum liberalitate in Principatus commutatis, illorumque fortunâ in ſobolem tranſmiſsâ, ex eouſque tempore qui opi-

 nantur

mantur, Iuris quidem Iuſtinianei ſcientiâ ſapere ſatis, ſed cum monumentis, quæ hiſtoriam temporum vulgarunt, haud frequenter collocutos, cur aſſerere verear, non capio.

(a) *l.1.pr.ff. de off. ejus.*

XXV.

Iuriſdictionem enim Germanorum, ætati noſtræ propriam, ad præcepta Romana veteriſque Germanicæ qui exigunt, hi erunt ferè, qui miſeriùs eam implicant, quàm explicant, ac quos non duriùs quàm literarum Romanarum, Germanicarumque expertes accuſari oportet.

XXVI.

Mixtum imperium eſt poteſtas, cui juriſdictio ineſt (a) & quæ jure magiſtratus proprio, eodem atque ingenito competit.

(a) *l.3.ff. de juriſd. l.1. §. ult. ff. de off. ejus.*

XXVII.

Iuriſdictio ſimplex etſi imperij mixti auxilio interdum non indigeat, (ſicut, cum lege qui poſtulantur, dicto audientes ſunt magiſtratibus, nec illis obſiſtere conantur) ac formæ diſcrimine ab eo ſejun-

ſejungatur, mutuo tamen objecti & ſubjecti vinculo connectuntur: hoc tantùm adjecto, quod minores magiſtratus, quibus cum ijs, quæ magis imperij, quàm juriſdictionis ſunt, negotium non eſt, *(a)* imperio, majori ſcilicet, deſtituti dicantur. *(b)*

(a) *L.26.ff.ad minic.* (b) *L.32.ff.de injur.*

XXIIX.

Iuriſdictio Germanorum patriæ celebrata terræ, duplex eſt, Criminalis & Civilis, quarum hæc civilibus negotijs decidendis, illa criminalibus cauſis cognoſcendis, ſupplicijsque onerandis conſtituta.

XXIX.

Vtraque, tàm Criminalis, quàm Civilis, pro loci diverſitate varias ſortitur nominationes, variasque diviſiones ac ſpecies admittit, quarum omnium abſoluta expoſitio, multis difficultatibus ſanè quàm involuta, mihi, qui minùs largiter nunc erogare tempus, laboriſque compendium facere inſtitui, non illis, diſconvenit, quibus diſputationem componentibus libelli figura non indecenter eſt in pretio, ac ſimilis in imitamento.

XXX.

XXX.

Iuriſdictio Saxonica in duas præcipuè ſpecies, altam, ſeu ſuperiorem, & baſſam, ſeu inferiorem, diſcernitur: illa omne ferè merum, & quædam quæ intra mixti imperij, hæc juriſdictionem ſimplicem itemque nonnulla quæ inter cùm meri, tum mixti imperij ambitum comparent, includit. (a)

(a) *Ord. prov. Sax. tit.* was zu Ober- und Nieder Gerichte gehöret.

Atque hæc quidem in præſenti notare magis, quàm commonſtrare volui, quæ perſequi ultrà argumenti nobilitas pariter ac amplitudo poſtularent, ſed mihi, recentem adventum abitione commutare jam cogitanti, per temporis anguſtiam longiori eſſe non licet.

FINIS.

VA 1152 551